

DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA  
DE  
FEBRIBVS ET VARIOLIS  
VERMINOSIS

---

QVAM  
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
PRAESIDE

GODOFREDO CHRISTOPHORO  
BEIREISIO

DOCTORE MEDICO ET PHILOSOPHO  
SERENISSIMO BRVNOVICENSIVM AC LVNBVRGENSIVM DVCE  
AB AVLAE CONSILIIIS, PRIMARIO PROFESSORE MEDICINAE, CHE-  
MIAE, PHARMACEVTICES, CHIRVURGIAE, PHYSICES, BOTANICES  
ET RELIQAЕ HISTORIAE NATVRALIS, A SERENISSIMO DVCE  
CONSTITVTAE SOCIETATIS MEDICINAM EXERCENTIUM  
PRAESIDE ET VARIIS SOCIETATIBVS MEDICIS,  
PHYSICIS, OECONOMICIS ET LITTERARIIS

ADSCRIPTO  
PRO GRADV DOCTORIS  
ET SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
RITE IMPETRANDIS

DIE II MARTII MDCCLXXX

IN IVLEO MAIORI

PALAM DEFENDET

AVCTOR

PHILIPPVS ERNESTVS HINZE

BRVNOVICENSIS.

---

HELMSTADII

TYPIS VIDVAE B. P. D. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.

athol. spec.


62, 42

1261/1586









### §. I.



ultum diuque de materia, de qua dissertationem medicam conscribere possem, cogitavi, et si vnā alteramue materiam elegeram atque circumspiciebam, vtrum eadem ab aliis iam sit pertractata, semper sedula facta inquisitione inueni, eam iam dudum saepius eodem scopo esse elaboratam. Postquam igitur per satis longum tempus dubius haeseram, an huncce aut illum morbum in specimine meo academico explicarem, tandem mihi in mentem incidit, de febre verminosa paucis differere.

### §. II.

Hanc ideo mihi sumsi materiam, quoniam neque centies recoctam, neque inutilem, sed potius medicinam facientibus in primis vero iunioribus medicis in limine exercitii artis salutaris positus sci-

A

tu





tu necessariam esse indicavi, tum quia febris verminosa ad morbos frequentissimos pertinet, quibus homines cuiusvis aetatis, sexus et temperamenti adfligi solent, et qui in cunctis terrae tractibus grassantur; tum quia morbus est infantes maxime inuadens, plerique autem homines medicis iunioribus experientia nondum satis edoctis diffidentes infantum solum morbos iis curandos permittunt. Neminem vero latere potest, multo difficilius esse, infantum, quam adultorum hominum morbos cognoscere illisque mederi. Sermo enim infantibus deficiens, horum sensuum eosque explicandi confusa ratio, nervi puerorum nimis sensiles, eorum metus propter medicamenta ingrata, et sexcenta alia, vel praestantissimum medicum in obseruando morbo confundere possunt. Praeter ea de hoc morbo disputandi hoc mihi ansam dedit, quod plurimi medici, qui de febribus dilucide satis scripserunt, omnia quidem febrium genera egregie explicauerint, sed vel plane non vel paucis tantum verbis huius febris mentionem fecerint; quum tamen sit morbus tam frequenter occurrens, exitialis quandoque, interdum admodum absconditus. Non defuerunt mihi occasiones tales visendi aegrotos duce Optimo Praeceptore Illustr. BEIREISIO, PRAESIDE, cuius in medendo dexteritatem et felicitatem per duos annos et dimidium, admiratus sum, cui omnia in medendi arte debeo, et gratissima mente id quod ab Illo accepi, reddo. Obiiciat forsitan aliquis, me parum optimi Praeceptoris expectationi respondisse. Sed  
is



is velim perpendat, viribus deficientibus, voluntatem tamen esse laudandam.

§. III.

De febrium quodam genere hic differens; paucis in naturam febris generatim inquirendum erit, explicandum deinde, qualis sit febris verminosa, vnde oriatur, quomodo dignoscatur, qua ratione eidem mederi, et quibus remediis morbum hunc imminentem arcere queamus. De his multa quidem essent dicenda et exponenda, nisi et temporis, quod mihi adhuc reliquum est, et paginarum harum angustia istud vetarent.

§. III.

Si ingentem illam symptomatum catenam febricitantium attento animo perlustramus, inueniemus, quod cuncta de spasms et eorundem effectu testentur, tendens ille in dorso perceptus dolor, oscitatio, pandiculatio, et multi alii ingrati sensus, qui incedente febrili paroxismo aegros vexare solent, horror, membrorum rigor, frigus cum tremore totum corpus conquassans, et innumera alia symptomata, naturam febris in primis in spasmo consistere manifeste nobis declarant. Deinde si arteriarum pulsum eorum qui febre laborant examinamus, semper in illo aliquid modo plus, modo minus a naturali deflectens animaduertimus. Quod si igitur in febre omni duo haec phaenomena occurrunt, spasmus nempe et pulsus a naturali abhorrens,



rens, iure meritoque in vtrisque his essentiam febris ponere, et ab iisdem symptomatibus febris definitionem deriuare, mihi licebit.

§. V.

Febris itaque est spasmus vniuersalis cum pulsu minus naturali coniunctus. Si morbus praecipuus ad naturam febris pertinet, id est, si proxime tamquam effectus ex causa proxima morbi deriuandus est, febris dicitur idiopathica, symptomatica autem, quae non proxime a causa proxima morbi dependet, sed ex morbo ipso, vti morbus ex sua causa prognascitur. Porro febres multum inter se differunt, pro diuersa earum indole, decursu, typoque, quem seruant. Sed vt tabulam illam magnam febrium synopticam hic exhibeam, nec spatium huic libello destinatum nec scopus meus requirit, sufficiat adnotare, febrem verminosam ad classem febrium symptomaticarum pertinere.

§. VI.

De multiplicibus febrium causis hic solummodo generatim indico, quod omne id, quod partes corporis nostri sensiles ad spasmus vniuersalem sollicitare, et vi huius spasmi sanguinis circuitum inordinatum reddere potest, ex quo pulsus a naturali abhorrens oritur, qui modo maiori, modo minori duritie, modo maiori, modo minori celeritate digitum explorantis medici ferit, febrem etiam accendere valeat. Sed hae causae sunt infinitae

tae



tae numero et varietate. Vnam itaque ex his tantummodo selegi, quae creberrime ad motus febriles excitandos ansam praebet, vermes puto res vilissimas et abiectissimas, quae tamen sanitati et vitae innumeris modis insidias struunt, quas, si omnes et ingentem illam morborum verminosorum cohortem hic enarrare vellem, dies me citius, quam dicendi materia deficeret. Notum enim est ex clarissimorum virorum scriptis, nulla corporis nostri caua dare, in quibus vermes non essent reperti. Caput ipsum a), cor b) et reliquae nobiliores partes secundum fida obseruata, nequidem ab hisce animalibus immunes sunt. Sed mitto haec vermium genera, mitto, de eorum ortu controuersiam, labore hoc iam pridem multi defuncti sunt auctores c).

§. VII.

Hic itaque solummodo de illis vermibus differam, qui saepius in corpore humano inueniuntur et creberrime febres excitant, in primis viis, ventriculo nempe et intestinis inhabitantes, videlicet

A 3

Asca-

- a) In cerebri sinu longitudinali superiori vermis lumbrico similis repertus est, vid. *Hist. de l' Acad. royale des sciences* a Paris 1700. pag. 40.
- b) In eius superficie vermem longitudine palmam referentem et quidem viuentem reperit HAENIUS vid. *Acta Physico medica Acad. nat. curios. vol. VII. pag. 54.*
- c) Vid. DAN. CLERICI *lumbrici lati historia*, ANDRY *de la generation des vers dans le corps de l' homme* Par. 1741. GUALTHERI VBI DOEVEKEN *Diff. de vermibus intestinalibus hominum.* Lugd. Bat. 1753.





Ascaris lumbricoides d) et vermicularis LINNAEI e), cuius optimam delineationem in VALLISNIERIO f), et bonam descriptionem in Clar. PHELIVMII *Historia physiologica ascaridum* inuenimus, priorem medici lumbricum teretem, alterum ascaridem vulgarem vocant, et lumbrici lati siue teniae L. g). Reliqua vermium genera, quae in canali intestinorum reperta sunt, nimirum Lumbrici terrestris varietas γ L. h), Ascaris trichiura L. i) siue Trichuris ROEDERERI, qui primus eam obseruauit k), quamque saepius Illustr. BEIBISIVS mihi ostendit, Fasciola intestinalis L.

d) CAROLI LINNAEI *Syst. nat.* edit. MOLM. A. 1766. pag. 1076.

e) Vid. *ibid.* p. 1323.

f) Vid. VALLISNIERI *Considerazioni ed esperienze intorno alla generazione de' vermi ordinari del corpo umano.* In Padoa MDCCX. form. quartan. Tab. III.

g) Vid. L. *Syst. nat.* p. 1323. seq. Optimas Taeniae icones et descriptiones in VALLISNIERII libro citato Tab. I et II pag. 70. reperimus. In LINN. AMOEN. *Acad. Vol. II. Tab. I. pag. 73. seq.* et in Cel. BONNETI *Memoires de Mathematique et de Physique presentés a l'Academie Royale des sciences par divers scavans a Paris 1750 Vol. I. p. 478. seq.* et eius *Abhandl. aus der Insectologie aus dem Französischen übersetzt und mit einigen Zusätzen herausgegeben von IOH. AVG. EPHR. GOEZE Hal. 1774. Tab. I et II. pag. 1 seq.* Vidi etiam taeniam eleganti capite ouali filo tenui adhaerente sedecim pedes longam quam Ill. PRAESES die 21 Novembr. an. 1777 ex intestinis AVGVSTI MARNIZII murorum fabri Helmstadiensis adhibita solutione resinae ialappae in vini spiritu eiecit, quamque Ill. PRAESES adhuc in supellectili sua rerum naturalium adseruat.

h) Vid. *IBID.* pag. 1077.

i) Vid. EI. *Mantiss. plantar. II. p. 543.*

k) Vid. EI. *Diss. de morbo mucoso p. 41. et Tab. III. fig. 4. a. b.*



L. 1) et GORDIUS niueus ab ANTONIO ROLANDI filio MARTINO repertus m) rarius occurrunt. Animalis notissimi, Ascaridis nempe lumbricoidis L. descriptionem hic in medium proferre superuacaneum esse duxi; pauca tamen de illius ortu in intestinis, quatenus in cura morbi et eius prophylaxi usum habere possit, praemittam.

§. VIII.

Veteres medici vermes intestinales ex putredine, seu ex materia spissa caloris atque motus intestini ope nasci, arbitrati sunt, inter quos referendus est HIPPOCRATES n) cui adsentitur HELMONTIVS o). Haec opinio non multum ab illa Epicureorum discrepat, qui omnia fortuito atomorum concursu facta esse, perhibuerunt. Qui illam sententiam tuentur, placitum suum variis experimentis stabilire conati sunt, donec FRANCISCUS REDIVS aliique post illum hancce falsam opinionem experimentis captis conuellerunt. Plerique recentiorum naturae speculatorum recte docent, vermes in intestinis reperiundos nec ex putredine or-

tos,

l) Vid. LINN *Syst. nat.* p. 1078. et *Amoen. Acad.* Vol. II. p. 71.

m) Vid. *der Koen. Schwed. Academie der Wiss. Abhandlungen* vol. XXXIII. pag. 259 seq.

n) *Oper. HIPPOCR. omn. studio et opera STEPHANI MACKIE* Vienn. 1743 et 1749 Ioan. maxima Tom. II. de Morbis lib. III. cap. XVI pag. 292 n. 345. et edit. FOES. p. 371. Ἐπὴν γεννᾶται πυρὸν καυσωδὲς ἀπὸ τῆς γαλακτὸς καὶ τῆς αἵματος συσσηπομένης καὶ πλεονάζοντος, ἄτε γλυκεὸς σκῆτος, ζῶον ἀπογεννᾶται αὐτοῦτε.

o) *Tract. sextuplex digestio alimenti humani* § 82.



❧ ❧ ❧

tos, nec homini esse congenitos, sed ab oualis, vel vermibus iam exclusis originem ducere, qui copiosissimi in aquis latent p), et in variis ciborum generibus inhaerent atque cum hisce deglutiuntur; in canali intestinali dein adiuuante calore et primo putredinis gradu ibi existente excluduntur, aut iam exclusi optime nutriuntur et propagantur. De taenia extra corpus animalium inuenta habemus testimonium Immortalis LINNAEI q) qui minimam taeniam prope Iernam Dalekarliae ad fontem acidularem in ipsa palude ambiente, et Cel. VNZERRI r) qui eam in aqua fontana inuenerunt. Ascaris lumbricoides L. seu lumbricus teres, vulgaris corporis humani quantum equidem scio, a nemine alio huc vsque extra corpus hominum et brutorum repertus est. Laetor itaque, me hanc naetam esse palam profitendi occasionem, Illustr. PRAESIDEM hunc vermem saepissime in aqua pura fontana per plures annos inuenisse, et non solum mihi, sed cunctis quoque fere suis auditoribus viuum demonstrasse. Nam accurato instituto examine ope microscopii optimi distincte in ore eius tres illi noduli et tubulus medius inter hos, quibus praecipue ab aliis vermibus et in primis a Lumbrico terrestri L. distinguitur, obseruari potuerunt. Nunc hic

Asca-

p) Hanc sententiam iam defendit GODOFREDVS RIDLOVS in libro de animalibus in ouino hepate repertis. p. 16.

q) *Amoen. Academ. Vol. II. p. 93. et System. nat. edit. XII. Holm. 1766. p. 1324.*

r) *Hamburgisches Magazin VIII. Bandes 3 Stück p. 314.*





Ascaris lumbricoides L. tres et nonnumquam quatuor lineas geometricas longus est, et in maximo numero eorum nullus repertus est maior. Craffitudo aequalis est tenui filo. Per omnes menses in aqua, quae e puteo coenobii Diui Ludgeri hauritur, eum inuenit, in quo nec pisces, nec alia animantia reperiuntur, e quorum corpore hi ascarides excerni potuissent, vti quidem Cel. PHELSUMIVS autumat s). Non autem solum in hac vrbe, sed etiam sub initium mensis Decembris anno MDCCCLXXII, quum SERENISSIMVS PRINCEPS ASCANIENSIS prope Ballenstadium Illustr. PRAESIDEM adfiduis venatibus oblectaret, quae est LITTERATISSIMI HVIVS PRINCIPIS erga viros literatos singularis clementia, ibidem eundem Ascaridem lumbricoidem L. in aqua fontana reperiit et in vitro obturato secum Helmstadium viuum transportavit. Corruit igitur hac saepius repetita et accurata obseruatione opinio VALLISNIERII t)

B

AN-

s) *Ei. Histor. physiol. ascaridum p. 73.*

t) *Lib. citat. p. 52.* E' manifesto, inquit, con oculata sperienza, ch' ogni animale, incominciando dall' uomo fino al più abietto sopra la terra, ha i suoi vermi interni particolari, e domestici abitatori. Et p. 53. Nascono dunque in noi i nostri vermi, si nutriscono in noi, si propagano in noi, e con noi, e succiamo dalle nostre Madri, o nell' utero, o col Latte questa sfortunata Eredità verminosa, la quale non sò poi, se sia una pena, o una legge della Natura, e lascio ponderarlo alla sublimità del suo ingegno. Io non so, se sieno stati creati ne' nostri primi Parenti, acciocchè consumassero senza dolore, e con una fame innocente il solo nocivo, ed escrementoso,



ANDRII u) CLERICI x) CVLETI y) aliorum-  
que, qui HIPPOCRATIS z) auctoritate nixi  
perhibuerunt, vermes in intestinis hominum et  
aliorum animantium reperiundos iis esse conge-  
nitos, aequae ac commentum eorum, qui a putri-  
bus

tofo, o per qualche altro a noi recondito fine, fo certo, che  
v' annidarono così bene, che mai più l'è estinta la spezie,  
fo, che stanno in noi famigliarmente, come nel loro piccolo  
Mondo, contenti naturalmente della più fozza, ed ignobile  
cloaca del medesimo, come tutti i vermini esterni si conten-  
tano de' soli loro esterni covili.

u) *Lib. cit.*


x) *Lib. cit.*

y) S. COVLETVS de *Ascaridibus et Lumbrico lato*. Lugd. Bat. 1729.

z) *Edit. splendidiff. oper. HIPPOCRATIS STEPHANI MACKII Tom. II. de Morbis lib. IIII. cap. XVI. p. 292. n. 335. et edit. FOES. p. 512.*

Νυν δε, inquit, ερειω περι ελμινθων των πλατειων. Γινεσ-  
θαι γαρ φημι εν τω παιδιω, εν τησι μητρησιν εοντι. Et  
num. 350. γινονται δε και τρογγυλαι ελμινθες αυτες, τρο-  
πω τοιωδε. σημειον δε οτι τεςθ' οντως εχει. Επην τα  
παιδια γενηται, ψωμιζουσιν αυτα αι γυναικες τα αυτα  
φαρμακα, ωσε εν κοπρω εξελθη εκ τς εντερος, και μη  
ξυγκουθη, και αιμα το εντερον ευρυνθη. επην ψωμισω-  
σι, πολλα δη των παιδιων, και τρογγυλας και πλατει-  
ας ελμινθας απεπατησαν αιμα τη κοπρω τη πρωτη. ην  
δε μη αποπατηση, γινονται και εν τησι γαστρησι. Και αι  
μεν τρογγυλαι τικτουσιν. αι δε πλατειαι εκ ετι, καιτοι  
φασι τικτειν αυτας. Haec vero non sunt HIPPOCRATIS  
verba; sed libri de morbis ab alio auctore HIPPOCRATIS  
aetate posteriore conscripti sunt. Nam neque orationis bre-  
uitas et grauitas, neque ratiociniarum paucitas, quibus genui-  
ni HIPPOCRATIS libri ab aliis discerni possunt, in his li-  
bris inueniuntur. Vid. Illustris GRVNERI *Censura librorum  
Hippocraticorum* Vratisl. a. 1771.





bus humoribus eorum originem deriuarunt. Hoc quidem libenter concedere possumus, quod humores putrescentes generationi vermium admodum faueant, et tenaces mucosique succi nidum illis praeparent; sed quod vermes ex putredine, ex mucoso, spisso humore ipso suos natales trahant, certis argumentis conuictus ille negabit, qui vermium corpora attente vniquam perlustrandi occasionem habuit, quae mihi in recitationibus optimi Praeceptoris, Ill. PRAESIDIS, quem ad vltimum vique vitae terminum gratissimo animo venerabor, non defuit. Ille mihi monstrauit structuram eorum organicam, oris tubulum inter tria tubercula, vasa circuitui humorum dicata, motus instrumenta, viscera digestionis inseruientia, nec non organa ad generationem pertinentia. Legi quoque merentur FRANCISCI REDI *Observationes circa animalia viuientia in corpore animalium viuorum pag. 44 et seq. Tab. X.* Et ANT. VALLISNIERII *Considerazioni ed esperienze intorno alla generazione de' vermi ordinarij del corpo umano. p. 121. Tab. III. figur. 2. 3. 4.*

#### §. VIII.

Ex antea dictis iam adparet, vermes nullibi melius hospitium sibi eligere, nullibi melius oculis excludi, nullibi melius nutriri et propagari posse, quam in intestinorum tubo. Nutrimentum enim hic numquam deficiens, calor fere semper aequalis, et qui animalculis excludendis tam aptus est;





lenis putredinis gradus ad cibos soluendos digerendosque tam necessarius, mucus primas vias obliens, haec omnia vermium generationi quam maxime accommodata sunt. Sed nullum hic naturae, quod horum animalculorum ingressui in ventriculum et intestina obstaret, praesidium. Nam nemo sola abstinencia a rebus vermium suspectis illos a canali intestinorum arcere potest, quia multis infunt potulentis, et vasis aqua delotis inhaerent, nec in esculentis deficiunt. Interim tamen solius naturae beneficio prohiberi potest, quo minus ingrati eiusmodi hospites, si in corpus ingressi sunt, diu in eo commorentur et propagentur. Hoc naturae auxilium quaerendum est in intestinorum reliquorumque viscerum digestionis inseruientium sana constitutione. Hisce enim morborum et debilitatis existentibus vermes copiose colliguntur, iis autem sanis et robore nativo praeditis ingerantur myriades vermium, aut eorum ouulorum; necabuntur illi, et expellentur haec iam ante exclusionis tempus. Quenam sint praecipua illa praesidia, quae ad vermes ingenerandos idonea reddunt intestina, non abs re esse duco, hic propius rimari. Vtilis enim est haec inquisitio ad curam febrium verminosarum et ad eas arcendas.

### §. X.

Ventriculus prima, intestinorum praesertim tenuium canalis ciborum digerendorum secunda est officina, hae, si muneribus suis recte perfun-

gun-



guntur, optimus succus praeparatur ex ingestis alimentis, qui sanguini traditus corpori necessarium largitur nutrimentum. A sola autem ventriculi et intestinorum actione huius boni chyli praeparationem non dependere, nemo est, qui ignoret. Suum contribuit iecur, bilem secernendo, pancreas suum succum, vesicula fellis hepaticam bilem re- sorptione partis tenuioris acriorem reddendo, ductus choledochus et pancreaticus liquorem stimu- lantem, saponaceum, diluentem intestino duodeno infundendo, vt reliqua minoris momenti admini- cula taceam. Labefactata vna alteraue ex dictis functionibus, digestionis actio interrumpitur, quae omnibus laesis tota fere abolita est. In mi- ferrimo hocce statu nullum amplius contra vermi- um in intestinis collectionem et propagationem na- turae auxilium, et omnia tunc hisce vilibus animalibus fauent. Robore enim primarum viarum subla- to, tollitur etiam earum in contenta actio, morantur haec per nimis longum tempus, quo fit, vt ouula facile excludantur, vermiculi nutriantur, et mucus intestinorum cauum obducens colligatur, in quo vermes nidulari possunt. Adde, quod naturalis sti- mulus, quo excernenda optime mouentur, quod ef- ficacissimum omnium humorum tenacium soluens remedium et praestantissimum sordes abstergens, maximus vermium inimicus, bilis nempe inertia la- bore, aut quod eius in cauum duodeni cum succo pancreatico influxus remoretur, et habebis tunc ex digestionis alimentorum officina, verum vermium nidum.

B 3

§. XI.





## §. XI.

Patet iam aliquantum ex his, cur infantes prae adultis morbo verminoso magis adfici soleant. Primum temperatus calor intestinorum infantum ad generationem vermium aliquid confert. Deinde maior mucii modus in eorum intestinis haerens commodus est vermium nidus. Tum voracitas puerorum materiem nutritionis praebet vermibus vberiore. Postea cibi dulces, quos adamaré solent infantes, et vermes magis nutriunt, et eos in corpore conseruant. Praeter ea infantes plerumque abhorrent amara, acria, vinum et reliqua, quae vermibus sunt inimica. Tandem bilis puerorum non eandem habet acrimoniam, quae in adultis mucum intestinorum abstergere et vermes expellere potest. Ex his elucet, quod infantes nullo alio morbo laborantes, vermibus tamen facilius vexari possint, et cur debiles pueri horrendis saepius symptomatibus cum febre quandoque coniunctis excrucientur.

## §. XII.

Hisce praemissis nunc ad febrem verminosam ipsam propius accedo. Antea iam exposui, ad quam classem haecce febris referenda sit, nempe ad classem febrium symptomaticarum. Cunctarum autem febrium symptomaticarum ea est natura, vt nullum exactum typum febrilem seruent, sed pro ratione caussarum excitantium vel aduictarum, vel imminutarum, aut exacerbentur, aut remittant. Et  
... haec



haec est ratio, cur etiam febris verminosa sit febris anomala, et quoniam nonnumquam accessio illius seu paroxysmus vehementior nonnumquam remissior esse solet, interdum vero cessante causa febrili irritante, per aliquod tempus penitus intermittit; a medico inexperto facile febris verminosa pro vera febre intermittente typica habetur.

§. XIII.

Nullum itaque febrium genus tam diuersis modis, tam multis et variantibus symptomatibus sensibus nostris sese offert, quam haec febris verminosa. Nullus morbus, exceptis variolis et atrophia, quae plerumque cum febre verminosa coniuncta esse solet, tot, quot eadem febris verminosa strages edit, et sub variorum morborum larua tra-goedias suas agere consuevit. Interdum epilepsiam mentitur idiopathicam, interdum catalepsin, nonnumquam pleuritidem veram, nonnumquam diarrhoeam et dysenteriam, aliquando febrem quotidianam et quartanam, saepius speciem prae se fert ischuriae et quae sunt reliqua.

§. XIV.

Febris verminosa, si intermittentis laruam induit, symptomatibus sequentibus comitata incedere solet. Praegressum horrorem interdum magnum, plerumque vero mitiorem et breuem, cum conatu vomendi nonnumquam coniunctum, si nempe ver-

mes



mes vel in ipso ventriculo, vel in intestino duode-  
no et ieiuno haerent, sequitur calor vel ingens  
cum delirio, vel naturali tantum paullo maior et  
diuturnus, siti fauces arent, borborygmi et dolo-  
res in abdomine percipiuntur. Sub finem paro-  
xyfmi duodecim, vel plures horas durantis, sudor  
oritur vel nullus, vel paucus tantum, raro vero co-  
piosus. Remittente paroxyfmo vehementiore lan-  
guor diutius remanet, quam in reliquis febribus  
intermittentibus, vel potius non penitus cessat.  
Noua febris accessio nullum habet typum regula-  
rem, sed quum febris haec sit valde anomala, va-  
go tempore, plerumque tamen vel tertio die, vel  
quotidie redire solet.

#### §. XV.

Tempore remissionis aegroti praeter debilita-  
tionem et lassitudinem magnam sentiunt saepius recur-  
rentes spasmos oesophagi, ptyalismum, cardialgi-  
am, irritos vomendi conatus, anorexiam, vel ad-  
petentiam cibi nimiam, ventris tormina, praeser-  
tim horis matutinis. Vexantur pauore in somno,  
pruritu et haemorrhagia narium, dolore capitis,  
diarrhoea in primis mucosa, vel alui obstructione  
et inflatione ventris. Urina est pallida cum sedi-  
mento mucoso. Accedit interdum dysuria, ischu-  
ria, tenesmus. Laborant saepius tussi sicca, foe-  
tore oris, pallore faciei, et oculi plerumque cin-  
cti sunt circulo liuido,

#### §. XVI.




§. XVI.

Symptomata in ipso febris paroxyfmo obuenientia, quae §. XIII. recensita sunt, partim ab ipsis vermibus intestinorum tunicam villosam vellicantibus, et eo ipfo spasmum febrilem eiusque effectus excitantibus, partim ab acrimonia humorum dependent, si nempe vermes chylum et lympham optimam reforbentes, reliquos in intestinis contentos succos acriores reddunt. Vermes autem, in primis vero Ascaridem lumbricoidem L. factu intestinorum villos ad se trahendo ore suo vellicare posse, facile adparet, si perpendimus, osculum huius animalis ex fistula constare, quae inter tres nodulos contiguos media est, et quam iam TYSONVS a) et VALLISNIERIUS b) accurate descripserunt et delinearunt. C  
des

a) In *Philos. Transact.* Vol XIII. p. 155. fig. 1. 2. aa.

b) Vid. eius Nuove osservazioni ed esperienze intorno all' ovaja scoperta ne' vermi tondi dell' Uomo, e de vitelli. Seconda edizione in Padova MDCCXXVI. form. quart. *Tab. I. fig. 1. 2. a. a. et fig. 4. et pag. 2 et 3.* Spremuta, inquit, però col polpastrello delle dita, scappono dall' orlo interiore di questo cerchio tre protuberanze ritondastre molto bene distinte, come tre monticelli, che non potendosi combaciare colle loro face, per ragione della figura, se non in piccolo sito, lasciano fra di loro nel mezzo mezzo una cavità triangolare, che ha un' evidente foro nel centro, e che forma la bocca, e il principio dell' esofago, che non è, se non un piccolo cannoncino, che debbe forse spuntar' in fuora, e ritirarsi a piacimento, conforme vuol' assorbire, o non assorbire il nutrimento dovuto. Questo cannoncino nel centro di quel triangolo è, a parer mio, tutto l'artificio, col quale assorbono, e fe-





des collum seu tubulum ampullae lacteae LIEBERKÜHNIANAE, quam inter praeparata Immortalis Huius Viri, quae sibi Ill. PRAESES comparavit, vidi, eo fine adtrahit, vt chylum in eo ab excrementis separatim et purum exfugat. Quo eo melius hoc fiat, Deus oris fistulam inter tria tubercula ita posuisse videtur, vt, si ampullae tubulum ore vermis adtraxit, coadunatis nodulis ex ampulla ipsa chylum et lympham exprimere atque ori infundere queat. Praeter ea ope horum trium tuberculorum coadunatorum vermis arctissime ad villos intestinorum adhaerere, retracta fistula os suum penitus occludere, eoque ipso impedire potest, quo minus res nociuae illud subeant. Intrare vero posse hocce collum seu tubulum ampullae in fistulam oris Ascaridis huius, Ill. PRAESES mihi demonstravit subtilissimo praeparato anatomico. Incredibili enim felicitate non solum ampulla, sicut Summus LIEBERKÜHNIVS hoc iam effecerat, sed et ipsum ampullae collum seu tubulus cera alba cum seuo ouillo mixta repletus et ita praeparatus est, vt colli huius ampullacei diameter ope microscopii distincte cerni posset. Elegantissimum hoc et subtilissimum praeparatum optimi Praeceptoris non sine magna voluptate saepius contemplatus sum, et facta comparatione inter hoc ampullae collum et fistulam oris ascaridis lumbricoidis, adparuit, minus  
seu

*e sovente così forti s' attaccano alle pareti degl' intestini, a guisa di sanguisughe, che anno in circa la stessa figura di bocca.*



feu gracilius esse illud, quam hoc, ideoque facile istum tubulum inferi posse in osculum ascaridis.

§. XVII.

Symptomata tempore remissionis obseruanda, quorum §. XV. mentio facta est, partim sunt effectus febris, qua aeger antea agitated est, exempli gratia, debilitas, lassitudo; partim irritationes vermium ieiunorum et esurientium, verbi causa, spasma oesophagi, ptyalismus, cardialgia, inanes conatus vomendi, ventris tormina, pauor in somno, pruritus in naribus, anorexia, bulimus, diarrhoea. Haemorrhagia narium, dolor capitis, a spasms per vermes in intestinis excitatis sanguinemque ad caput congerentibus oriuntur. Alui obstructio eiusque inflatio, tenesmus, dysuria, ischuria, vrina pallida eiusque sedimentum mucosum, ortum trahunt a spasms per vermes intestinalia vellicantia concitatis, qui spasmi ex consensu nervorum etiam ad vesicam transferuntur, et ex illius glandulis mucosis magnum modum mucum exprimunt, et quum omnem spasmum excipiat atonia, seu relaxatio spasmis proportionata, glandulae relaxatae maiorem mucum modum cessante spasmis admittunt et excernunt. Partim ea symptomata originem trahunt ab acrimonia humorum et putredine, vel a vermibus putrefactis, vel ab eorum excrementis collecta, e. g. debilitas, lassitudo, pruritus et haemorrhagiae narium, anorexia, diarrhoea putrida, ventris tumor a flatibus et putredine



ne verminosa deriuandus, foetor oris et tussis sicca.

§. XVIII.

Si vero febris verminosa iam a principio ad naturam febrium acutarum accedit, plerumque iisdem fere supra enarratis symptomatibus incedere et aliarum febrium continuarum putridarum indolem habere solet. In primis vero sequentia in illa observantur. Leni praegresso horrore mox aestus per aliquot horas protractus siccus et summae praecordiorum anxietates sentiuntur cum palpitatione cordis, dolore capitis et pupillae dilatatione. c) Hunc calorem febrilem plerumque sudor nimius et foetens excipit, qui simul de resolutione humorum putrida, sicut etiam haemorrhagia narium saepius recurrens, testatur. Arteriarum pulsus frequens, durus, debilis et saepius intermittens est. Semper fere adsunt vigiliae pertinaces, singultus, dentium stridor, et nonnumquam epilepsia. Si febris per aliquot dies duravit, lingua obtegitur crusta fusca, manuum oritur stupor et paresis, urina fit iumentorum lotio similis, diarrhoea exorta, ramenta putrida vermium mortuorum excernuntur, et saepe vermes ipsi vomitu reiiciuntur atque ex aluo exeunt. Interdum pars oris interna cum lingua aphthis tecta est; nonnumquam vero, si putredo verminosa humorum augetur,  
vel

c) Conf. I. I. van den ROSEH *Historia constitutionis epidemicae verminosae etc.* edit. nou. Norimb. 1779. p. 34.



vel purpura miliaris, qualem GODOFREDVS Medicus Gallicus in libello Academiae regiae scientiarum Parisiensi oblato d) descripsit, et quam Ill. PRAESES saepissime in primis in infantum corporibus efflorescentem conspexit, vel petechiae in superficie corporis oriuntur. PLANCINVS Medicus Italus eiusmodi petechias verminosas malignas adumbravit. e) Ill. PRAESIDI anno MDCELXXIII. contigit rarissima morbum petechialem saepius redeuntem obseruandi occasio in infante tres annos nata, *Sophia*, filia fabri tignarii, cui nomen est *Ioannes Christophorus Wackernagel* et qui in suburbio nostro Neomarchia (die Neumarck) dicto habitat. Infans haec vermibus scatens, vicies petechiis sibi inuicem fere contiguas laborauit cum febre feruentiori coniunctis. Anno aetatis primo variolis veris correpta erat, et anno vno atque dimidio praeterlapso, primo petechiali adflicta est morbo. Quaelibet accessio harum viginti febrium petechialium sequenti ratione se habuit. Praegressum horrorem ingens excepit et intolerabilis aestus, qui ita sensim adauctus est, vt aegra morti proxima esset. Die morbi tertio, vel quarto petechiae sub initium eruptionis roseae, paullatim vero violaceae redditae copiosissime effloruerunt, quo facto vis morbi relaxata est. Post quatuor vel quinque dies petechiae sensim sine sen-

C 3

su

d) *Histoire de l' Acad. Roy. des sciences* 1715. p. 14.

e) *BLANCHINI Lettere medico practiche* p. 119.





fu imminutae fuerunt, et infans pristinas vires recuperavit. Sed aliquot hebdomadibus praeterlapsis eodem modo eadem vis morbi rediit. Postquam Ill. PRAESES sub initium mensis Augusti anno MDCCLXXIII vicesimam huius morbi accessiorem adhibitis anthelminthicis et antisepticis remediis, in primis vero extracto corticis Peruviani optimi et infuso florum arnicae sustulerat, ac infantem ex gravissimo morbo refecerat, quinta hebdomade incipiente ea in graviorem eiusmodi morbum recidit. Parentes illius, hordei messe occupati, et de hoc morbo, quem toties viderant, minus solliciti, infantem parum curarunt, et in conclavi calido radiis solis per totum fere diem exposito incluserunt, nec ad Ill. PRAESIDEM de novo morbi reditu detulerunt. Quo factum est, ut infans, postquam per duos dies cum summa morbi vi conflictata erat, et nullum indicium macularum erumpentium adfuerat, mentis compos, absque vlla accepta medicina, placide die tertio animam exspiraret. Hoc simul memoratu dignum esse videtur, quod nullus reliquorum octo iisdem parentibus genitorum liberorum umquam eodem valetudinis genere tentatus sit.

Huc quoque pertinet sequens morbi historia. *Augusta*, filia *Ioannis Christiani Laubii* chartarum confectoris, qui in officina chartaria, quae est in vrbe Regia Luttera, victum sibi quaerit, et cuius vxor *Margareta Iuliana Brandia* Helmstadii



stadii habitat, infans quinque annorum, quae iam per aliquot annos saepius vermibus vexata erat, sub initium mensis Februarii anno praeterito horrore cum tremore artuum correpta est, quem secutus est aestus ingens cum delirio et summa anxietate. Die tertio maculae rubrae, quas petechias vocant, per totam corporis superficiem sparsae conspectae sunt, quarum magnitudo et numerus sensim ita creuit, vt pene contiguae essent. Color earum deinde mutatus est in fuscum et nigrum. Putredinis humorum gradu adaucto, sanguinis mictio et haemorrhagia oris accessit. Et ante febris huius initium et in ipso morbo ascarides lumbricoides atque eorum putrida ramenta excreta sunt. Ill. PRAESES datis medicamentis supra laudatis periculosum morbum abegit, vt quatuor hebdomadam spatio non solum omnes maculae euanescerent, sed etiam infans pristinae sanitati restitueretur. Die tricesimo Iunii, quam noua vermium putridorum colluies in corpore huius infantis sese collegisset, ea denuo in morbum exanthematicum nempe in purpuram miliarem verminosam delapsa est. Ill. PRAESES aegrae aduocatus eam conuulsionibus correptam et extremum fere spiritum trahentem inuenit, et antequam medicamentum praeparari et faucibus infundi potuit, ea iam corporis vinculis relaxata est.

§. XVIII.

Non autem solum vermes putredine resoluti febrem petechialem excitare possunt, verum etiam  
eorum





eorum putris sanies ad sanguinem translata omnes alios morbos in primis vero variolas peiores reddere solet. Id quod sequentia exempla ab Illustri PRAESIDE et a me ipso obseruata comprobare possunt. *Ioannes Christianus Casparus*, infans duos annos et dimidium natus, *Ioannis Ieremiae Friderici Timmii*, viectoris seu doliarii Helmstädiensis in platea viectorum (Boettgerstrasse) habitantis filius, qui iam grauissima febre et diarrhoea verminosa sub initio mensis Februarii anno MDCCLXXVII. laborauerat, sub medium mensis Septembris eiusdem anni in morbum dysentericum verminosum implicatus et eo per decem hebdomades detentus est. Nonem ascarides lumbricoides, seu lumbricos teretes aluum deiciendo excreuit; maximum vero modum ramentorum et saniei e vermibus putridis collectae, per vomitum et diarrhoeam reiecit. Hebdomade morbi decima finita, infans hic ita cunctis viribus exhaustus fuit, vt parentes eius de vita filii sui desperarent, et bis eum immobilem nec respirantem mortuum esse sibi persuaderent. Dysenteria finita, haud ita multo post in febrem lentam verminosam incidit, quam circa medium mensis Februarii anno MDCCLXXVIII variolae verae subsecutae sunt. Variolae confertim et minoribus pustulis milii semine haud maioribus eruperunt, et facta suppuratione confluxerunt. Durante hoc morbo octo ascarides lumbricoides cum multa colliuie verminosa patri aluo exierunt. Die morbi nono petechiae effloruerunt et primo ad radicem  
digi-





digiti medii manus sinistrae, deinde etiam aliis in locis variolae nigrae factae sunt. Ill. PRAESES extracti corticis Peruuiani granis octo singulis binis horis adhibitis, et sorbitione florum arnicae aliisque antiseptiis remediis progressum sphaceli stetit et efficaciter inhibuit. Nam illis medicamentis partes mortuae a viribus vitalibus aduictis ita separatae sunt, vt hiatus circularis inter partes viuas et mortuas oriretur. Huic naturae auxilio Ill. PRAESES subuenit et carnem mortuam ex multis locis manuum atque pedum, praesertim vero ex musculis glutaeis dextris partem sphacelo corruptam, quae diametro et altitudine pollicis aequalis fuit, scalpello separatam forcipe, me praesente, extraxit, et infantem hunc, sicut ex cunctis praegressis morbis, ita quoque ex his mortis faucibus eripuit. Sub finem mensis Martii ab nouo vermium putridorum liquamine in intestinis collecto et ad sanguinem delato hic infans febrem verminosam cum ulcere sphaceloso in genu dextro nactus est. Sphacelus in primis in poplite omnem cutem sic exederat, vt tendines ibi iacentes nudi in conspectum venirent. Mense Maio eiusdem anni denuo in febrem verminosam lentam cecidit, quae interdum intensa est, noctu vero remissior facta est. Ineunte Augusto tussis conuulsiva eum inuasit. Sub finem mensis Septembris per tres continuos dies accessit sopor, ex quo nullo modo excitari potuit. In ipsa vero tussis conuellentis accessione per breuissimum temporis spatium ita ad se rediit, vt medica-

D men-





menta illi praeberi possent. Tertio die finito, sopor quidem cessauit, sed infans expergefactus statim epilepsia correptus est. Sumto vno grano florum zinci vis morbi comitialis laxata quidem visa est, remanserunt tamen leniores membrorum motus conuulsiui tam diu, donec decem grana florum zinci adhibita essent. Quibus et adiunctis aliis medicamentis in primis anthelminthicis Ill. PRAESES et conuulsiones et tussim ita depulit, vt puerulus nunc ex grauissimorum morborum longinquitate recreatus sit et optime valeat.

*Catharina Christiana Ioanna*, puella annum octauum agens, filia nati maior *Guilielmi Martini Temmii*, zythepfae Helmstadiensis et ciuium centurionis, cuius domus in platea, quae ab auditionibus, quae olim in Iuleo nostro colebantur, nomen habet, (Collegenstrasse) sita est, filia haec, quum annum tertium ingressa esset, secundum matris relationem ex variolis paucis nullas cicatrices relinquentibus aegrotauerat, mense Ianuario anno MDCCLXXVIII variolis veris infestata est. Totum caput, faciem et partem capillatam, nec non manus et pedes variolae confluentes obtexerunt. Quum Ill. PRAESES ex morbi symptomatibus vermes in ventriculo et intestinis haerentes suspicaretur, eos, vel saltem ex illis ortum liquorem putridum exhibitis medicamentis anthelminthicis, emeticis et aluum soluentibus expellere studuit. Vomitu quidem magnus modus ramentorum verminosorum,



rum, sed nihil ex alio adstrictiore reiectum est. Ardor febrilis et difficultas deglutiendi indies magis magisque adaucta, et vndecimo morbi die non solum magna pars variolarum sphacelo ita corrupta est, vt maculae nigrae variolarum diametro pollicis aequales essent; verum innumerae quoque petechiae nigricantes in tota corporis superficie, praesertim vero in abdomine, dorso et femoribus conspectae sunt. Die duodecimo aegram lethargo seu inexpugnabili paene somni necessitate oppressam inueni. Quamuis igitur puella ad mortis confinia accessisse visa sit, non tamen omnem spem Ill. PRAESES abiecit, sed propinatis remediis antisepticis et eieetae materiae putrida puellam ab interitu vindicauit. Tempore exsiccationis variolarum pes sinister maximum in modum ex metastasi puris nimii intumuit, et exorta inflammatione ac suppuratione Ill. PRAESES facta incisione pus expressit et vulnus glutinauit. Sub initium mensis Aprilis eiusdem anni puella haec in febrem lentam verminosam cum diarrhoea putrida incidit, qua magna vis ramentorum vermium putrefactorum eliminata est. Haec febris lenta oedema pedum reliquit. Quo vero dispulso puella ex incommoda valitudine emerfit, et nunc quoque incorrupta fruitur sanitate.

§. XX.

A nullo vero medicorum obseruatum est, in hisce febribus verminosis, continuis, acutis, et  
 D 2 putri-



putridis interdum variolas veris quam simillimas et harum typum feruantes, in superficie totius corporis eiusmodi hominum, qui antea iam veris variolis laborauerunt, erumpere. Auctor quidem libri, qui Κωακαι προγνωσεις inscribitur, et a plurimis medicis, sed false, inter scripta HIPPOCRATIS refertur, iam exanthemata a vermibus orta obseruasse perhibetur. In eo enim libro. f) Εν λειεντερικοισι, inquit, μετα θηριων οδυναι σφοδρωλυομεναι, τα περι αεθρα μετεωριζουσιν. Εκ τοιουτων λεπια εξερυθρα, φλυκταινουμενα. εφιδρωσαντες ουτοι διαφοινισσονται οια μασιξιν. Verba μετα θηριων. Duretus g) *cum feris aluinis*, et MACKIUS h) *cum lumbricis* verterunt; FOESIUS i) autem *cum saeuissimis ulceribus*. Quodsi etiam priorum auctorum sententiae accedamus, hic tamen αφορισμος non de exanthematibus in pus abeuntibus, sed de articulorum tumidorum squamulis rubicundis pustulosis loquitur. WERLHOFIUS in *disquisitione medica et philologica de variolis et anthracibus* k) cuncta quidem variolarum genera ab auctoribus huc usque descripta recenset, atque vnde-

- f) HIPPOCR. *Oper. edit. MACKIAN. Tom. I. Sect. II. cap. XVIII pag. 177. n. 467. et edit. FOES. p. 129. n. 467.*  
 g) *Comment. in Coac. Praenot. p. 336.*  
 h) *Loc. cit.*  
 i) *Loc. cit.*  
 k) *Vid. eius Oper. med. a Cel. WICHMANNO edit. Part. II. pag. 482 seq.*



cim a se inuicem differentes variolas enumerat, sed nemo variolarum a sola vermium putridorum colluue deriuandarum mentionem fecit. Ill. PRAESES, qui ab eo tempore, ex quo artem salutarem exercere coepit, semper omni mentis contentione in id incubuit, vt ad aegrotorum lectos cuncta morborum symptomata et quaeuis eorum momenta sedulo ponderaret, in primis vero in eorum causas more philosophorum inquireret, primus variolas verminosas saepius obseruauit. En igitur ex magno numero aegrotantium hoc morbo afflictorum, qui se Ill. PRAESIDI sanandos commiserunt, aliquot electas historias.

*Anna Catharina Elisabetha Frickia*, femina triginta quatuor annos nata, vxor *Pauli Rudolphi Bornmanni*, figuli Helmstadiensis, qui tubulos fictiles, quibus fumus herbae *Nicotianae* hauritur, conficit, et cuius domicilium platea rustica (Bauerstrasse) habet, in tribus puerperiis situm foetus habuit transuersum in vtero, ita vt manus cum parte brachii ex vteri vagina emeretur. Cuius rei causam Ill. PRAESES, qui hos tres infantes facta versione manu ad pedes applicata extraxerat, sequentem fuisse, inuenit. Longitudo funiculorum vmbilicalium nimia erat, nam horum trium breuissimus, quem vna cum placenta adhuc inter praeparata sua anatomica adseruat, pedes quatuor et duos digitos, seu quinquaginta digitos longus est, quum plerumque naturalis huius funiculi longitudo pede





et dimidio l), vel sedecim, vel viginti quatuor digitis  
 haud maior esse soleat. m) Laqueus hic umbilicalis  
 in inferiore vteri parte circulum maiorem effecit, in  
 quem caput foetus ita descendit, vt laqueus col-  
 lum circumdaret. Exortis deinde doloribus par-  
 tum promouentibus, caput infantis per funem, qui  
 eo ipso, quia collum cinxit, breuior redditus et  
 adstrictus est, ab ore vteri deductum et sic situs in-  
 fantis transuersus praeparatus est. Hoc eo facilius  
 fieri potest, si funiculus umbilicalis ab umbilico  
 descendat inter femora, et dein supra dorsum ad  
 collum, quod circumpleat, adscendat. Et hac di-  
 rectione progredientem funem umbilicalem Illustr.  
 PRAESES non solum in his tribus infantibus, verum  
 etiam mense Ianuario anno MDCCCLXXIII in infan-  
 te vxoris Consultissimi FISCHERI, ex cuius vtero  
 alio tempore filium natu maximum viuum forcipe  
 extraxerat n), vidit praesente marito et Experientif-  
 simo EMMERLINGIO, qui eo anno Illius recitatio-  
 nibus artis obstetriciae interfuit, quibus faciem li-  
 uidam ac fere fuscam huius infantis laqueo umbili-  
 cali strangulati ostendit. Idem mortis genus Ill.  
 PRAESES obseruauit mense Octobri anno MDCC  
 LXXV.

l) Vid. *L' Art des accouchemens* par M. ANDRÉ LEVRET. a  
 Paris 1766. p. 53.

m) Vid. *Abrégé de l' Art d' accoucher*, par M. BERDOT le Fils,  
 Tom. I. p. 50.

n) Vid. Diss. quam Praeside Ill. BEIREISIO Exper. MULLERVS  
 habuit de *caussis cur feminae in Germania partibus laboriosiss  
 prae aliis gentibus magis sint obnoxiae.* p. 24.



LXXV. in foetu eiusdem feminae, ex cuius utero anno MDCCLXVIII. infantem in eodem situ obliquo repertum manu protraxerat o), nempe vxoris custodis saltus, qui in territorio Coenobii Diui Ludgeri iacet. Haec ideo hic non silentio praetermittenda esse putavi, quoniam rem ad artem obstetriciam pertinentem illustrant, quae huc vsque non satis explicata erat. Redeo igitur ad historiam vxoris figuli. Femina haec, quae tenera aetate variolis veris laborauerat, et aliquot earum cicatricibus resperfa erat, sub finem mensis Iulii anno MDCCLXXV febre continua putrida correpta est, cuius causa in morbi initio diuinari non poterat, quam ea tempestate aestatis calor temperatus esset. Sub morbi initium periculoso inhorruit frigore. Horrorem cum morbo comitali, quo antea nunquam iactata erat, et terribili clamore coniunctum secutus est aestus magnus et continuus cum delirio. Tertio morbi die praeterlapso, in facie, collo, pectore et brachiis pustulae effloruerunt, quae quarto, quinto et sexto die magis inflammatae sunt, nouaeque eruptae abdomen ac pedes occupauerunt. Septimo, octauo et nono die pus verum in iis collectum est. Diebus sequentibus vario- lae hae exsiccatae et desquamatae sunt. Sexto morbi die horis matutinis magnus Ascaris lumbricoides L. et horis vespertinis alius excretus est. Adhibito medicamento anthelminthico sequentibus diebus multi vermes prodierunt, et eorum putridorum collu- uies

o) *Diss. cit. p. 29 et 30.*





nies eiecta est. Die morbi decimo quarto aegra vermibus scatens denuo conuulsione comitiali iactata est, et in horribili eius accessione a vermibus excitata, interclusa anima mortalitatem expleuit.

Filius Viri veteris profapiae et multarum imaginum, qui antequam e vita discessit, summus fuit fodinarum Hercyniarum praefectus, et soror summi praefecti rerum ad saltus Hercynii partem, quae in ditione POTENTISSIMI REGIS BRITANNORVM est, pertinentium, IVLIA BVLOVIA; VIRGO NOBILIS viginti et quod excurrit annorum, habitu corporis adstricto gaudens et ingenio prudentiaque acutissima, iam per aliquot annos imbecilliore valetudine fuerat, et perpetuis fere furunculis pedum minoribus, a vermium in intestinis mortuorum colluue putrida oriundis laborauerat. Valetudinis Eius custos, Vir arte medendi insignis, postquam rescuerat, vermes in excrementis repertos fuisse, medicamenta anthelminthica Illi dedit, et sanguinis acrimoniae correctionem adhibere studuit. Sed paucissimi tantum vermes gratum suum hospitium deseruerunt, et vlcuscula reglescere coeperunt. Quum Ill. PRAESES sub initium mensis Nouembris anno MDCCLXXV. Beienrodam profectus esset, vbi est praedium haereditarium PERILLVSTRIS GENTIS BVLOVIAE, quod in ipso confinio Ducatus Brunouicensis et Principatus Cellensis situm est, vt Virum magni-



magnitudine animi excellentem, *Illustrissimum* HOYMIVM, praefecturae Guelpherbytanae satrapam ex febre tertiana pernicioſa cum inexpugnabili ſopore coniuncta, quae altera fuit eiufdem morbi tentatio, reficeret; ſoror generoſa huius *Illustriffimi* VIRI, matertera Illius Virginiſ nobiliſ ab Illuſtr. PRAESIDE petiit, vt priuignam hanc ſanam faceret. Is ante omnia vermes in inteſtiniſ hoſpitanteſ necare, atque ex iſſ expellere decreuit, ſimul vero impuriſ humoribuſ remedia acrimoniam eorum corrigentia oppoſuit. Sumſit itaque Virgo generoſa ſtirpe oriunda horiſ matutiniſ et veſpertiniſ drachmam vnam pulueriſ ex femine cinae Aleppenſiſ parati, et de die decoctum polentae hordeaceae. Quo factum eſt, vt vlcuſcula pedum breui tempore perſanarentur. Interim tormina ventriſ circa vmbilicum ſaepiuſ exorta ſunt. Quia propter ſanguiniſ acritudinem nec ſalia, nec alia remedia acria mucum ſoluentia et abſtergentia adhibita erant, ſub initium pauci vermes ex aluo exceſſerunt, praefertim quum medicina ventrem mouens eum parum vel nihil ciuiſſet. Viſ tamen anthelminthica ſeminiſ cinae, cuiuſ viſque ad finem menſiſ Nouembris treſ vncias acceperat, vermes quidem necauerat, ſic, vt a die vicesimo ſeptimo Nouembris quotidie, praefertim vltimo huiuſ menſiſ die, quo diarrhoea putrida exorta eſt, multi aſcarideſ lumbricoides maximae longitudiniſ et craſſitudiniſ eiicerentur. Pluriſma vero eorum pars, naturali inteſtinorum calore

E re



re corrupta, in putridum liquamen mutata, a venis mesaraicis resorpta et hac via ad sanguinem delata est. Sanguis hoc modo corruptus sequentis febris exanthematicae vnica caussa fuit. Die primo Decembris Virgo imaginum splendore conspicua postquam per aliquot dies, lassitudine membrorum, et in primis pridie eius diei capitis dolore ac grauitate, nausea, spasmis oesophagi cum reiectione lymphae, tensione intestinorum et vesicae, ac dysuria laborauerat, horrore febrili, intercurrente ardore et nausea, perfusa et subsequente aestu cum siti correpta est. Aluus adstricta et dolor oculorum palpebrarumque intolerabilis fuit. Quo calore tridui fere spatio detentam tussis incessit sicca, et in facie, collo, dorso, pectore, brachiis, abdomine pedibusque exanthemata adparuerunt multa quidem, neque tamen contigua, sed discreta, quae tribus sequentibus diebus numero aucta sunt, et sensim in altitudinem et latitudinem creuerunt, nec faucibus, nec capillatae capitis parti, nec auribus pepercerunt. Pertinaces adfuerunt vigiliae, et si per momentum temporis somnus obrepset, pauores ei mox finem imposuerunt. Facta eruptione exanthematum, cuncta fere morbi symptomata cessarunt. Die sexto Decembris matertera nobili genere prognatae huius Virginis litteris ad Ill. PRAESIDEM datis ab eo petiit, vt aegrotam inuiseret, atque exanthemata coram intueretur, nam ea variolis veris tam similia esse, perhibuit, vt, nisi propria experientia edocta sciret, aegram iam ineunte a-

do



doleſcentia eodem valetudinis vitio laboraſſe, iura-  
ret, hanc valetudinem Illi nunc accidiffe. Itaque  
Ill. PRAESES Beienrodam iter fecit et exanthe-  
ma, quae primo die effloruerant, vero pure repleta,  
piſis magnitudine et figura aequalia et per omnia  
veris variolis quam ſimillima inuenit, quum eo  
tempore nemo in his regionibus variolis vrge-  
retur. Eodem die lotii multum ſedimentum  
mucoſum in matula obſeruatum eſt. Sequenti  
vero die ingens aſcaridum lumbricoidum mino-  
rum et quod ad partem iam putridorum nume-  
rus in excrementis repertus eſt. Tertio ab in-  
cepta ſuppuratione die variolarum exſiccatio coe-  
pta et tridui ſpatio finita eſt. Totidemque fere  
diebus cruſtae aridae deciderunt et in cute maculas  
quidem rubras, ſicut veri varioli ſolent, ſed nullas ci-  
catrices reliquerunt. Quem admodum etiam hoc il-  
lis, qui veris variolis implicantur et tempeſtiue  
Ill. PRAESIDI ſe curandos tradunt, numquam fere  
accidit. Virgo haec equeſtri loco nata morbo ceſ-  
ſante adhuc de dolore atque ardore plantarum, nec  
non de tenſione ventris et torminibus conqueſta  
eſt. Ill. PRAESES vermibus reſtantibus ſemen ci-  
nae opponere eoſque medicamentis catharticis, in  
primis vero puluere rhei aluo extrudere continua-  
uit. Et poſtquam omnes hoſpites hi ingrati eieci  
erant, exeunte Decembri ad partes corporis robo-  
randas corticis Peruuiani puluerem Illi dedit, quo  
generoſa Virgo vires ab aegritudine collegit, et ab  
illo tempore viſque ad hunc diem firma et proſpera  
vtitur valetudine.

E 2

Ma.



*Maria Ioanna Blumia*, *Ioannis Eberhardi Schul-*  
*zii* capillorum concinnatoris Helmitadiensis vidua,  
 femina quadraginta octo annos habens, habitu  
 corporis magis laxo, quam stricto praedita, cuius  
 habitatio in medio plateae, cui a Diuo Georgio  
 nomen est, (Georgenstrasse) iacet, et quae anno  
 aetatis suae septimo in morbum variolosum verum  
 coniecta est, postquam per plures menses dolorem  
 in sinistro hypochondrio perceperat, et cardialgia,  
 anxietate praecordiorum, cordisque palpitatione  
 adflicta erat, exeunte Ianuario anno praeterito ho-  
 ra meridiana duodecima horrore et frigore febrili  
 quassata est per duas horas cum crepitu dentium.  
 Laterum dolor adauctus et sanguis maiorem in mo-  
 dum in caput congestus est. Quum Ill. PRAESES  
 aegrotum visendi causa iter fecisset, aegra opem  
 meam imploravit. Ego quidem et vt lateris dolo-  
 rem lenirem, et vt febris aestum imminuerem, in-  
 cisa brachii vena sanguinem mitti iussi. Sed vbi san-  
 guinis vnciae aliquot effluerant, aegrotata animi  
 deliquium passa est, quod excepit summa debili-  
 tas. Ill. PRAESIDI postquam domum reuersus e-  
 rat, ea quae de natura morbi cognita atque com-  
 perta habui, nunciaui. Ille, cui non ignotum fuit,  
 aegram iam dudum et saepius cardialgia vexari so-  
 litam fuisse, morbo mederi studuit medicamentis  
 antispasmodicis et diapnoicis; quo facto dolores  
 quidem remiserunt, sed interdum redierunt cum  
 ingenti anxietate, *αγελπια* et mente alienata.  
 Die primo Februarii *Ascaris lumbricoides* L. ex  
 oris



oris cauo prorepfit, et fequentibus diebus tres eiusmodi vermes mortui ex aluo eiekti funt. Die quarto eiusdem mensis puftulae rubicundae ex dorfo, pectore et abdomine, et fequentibus diebus plures ex aliis quoque corporis partibus eruperunt, et fenfim ad magnitudinem pilorum excreuerunt. In humero aliquot exanthemata contigua confluerunt. Ill. PRAESES quum obseruaffet, morbum hunc esse variolas verminofas, datis remediis diaphoreticis et anthelminthicis exanthemata magis promouit, et non solum vermes ipfos, fed magnum quoque faniei verminofae modum e corpore eliminauit. Die duodecimo Februarii in cunctis exanthematibus verum pus inuentum est, et fequentibus diebus variolae hae exficcaetae atque dein delapfae funt. Nemo ea hieme nec in hac vrbe, nec in locis vicinis variolis veris cruciatus est. Femina haec variolis verminofis ita debilitata erat, vt sex demum hebdomadibus praeterlapfis vires priftinas recuperaret. Ea nunc praeter inueteratum illum lateris dolorem, feu cardialgiam verminofam, et pectoris anguftiam interdum recurrentem, fatis commode valet.

Vir Iuuenis longam feriem et innumera decora imaginum praeferens CHRISTOPHORVS GUILIELMVS WERDECKIUS, Themidis in hac academia cultor, viginti tres annos natus, habitu corporis nec ftricto nec laxo et acri ingenio praeditus, qui anno aetatis nono ex febre variolo-




sa vera aegrotauerat, quae aliquot variolarum cicatriculas reliquit, et cui anno MDCCLXX *Illustr.* MVZELIVS medicamenta ad vermes necandos dederat, Hic Vir generosissimus postquam per aliquot dies membrorum lassitudine, ventris doloribus et anorexia laborauerat, die decimo quinto Ianuarii huius anni leni febre corripiebatur. Die decimo septimo eiusdem mensis papulae in pectore, collo, brachiis et abdomine conspiciebantur, quae diebus sequentibus adiuuante potione diapnoica, in facie et pedibus magis magisque erumpebant, et in humero dextro nonnullae coadunatae magnitudine nuci avellananae aequalem pustulam efficiebant. Die decimo nono et vicesimo verum pus in variolis his verisimilibus colligebatur. Et quum Ill. PRAESES Viro generosissimo horis vespertinis indicauerat, morbum hunc esse variolas verminosas, Is huic sententiae accedebat perhibens, se horis pomeridianis rossonibus intestinorum vexatum esse. A die vicesimo horis vespertinis et matutinis drachmam dimidiam feminis cinae Aleppensis sumebat. Cum excrementis magnus mucis et colluiei verminosae modus, in primis vero die vicesimo secundo vermes putredine corrupti eiiciebantur. Variolae paullatim exsiccabantur et earum crustae instar squamularum decidebant. Neminem nostrorum civium vel incolarum, nec eorum, qui regionis confinio nobis iuncti sunt, variolae detinuerunt. Nunc vero Vir natalium ac virtutum splendore conspicuus inoffensa viuit valetudine.

Mul-



Multa adhuc in medium promere possem eiusmodi variolarum verminosarum exempla, verbi gratia historiam variolarum verminosarum, quibus infans quinque annorum, filius domini diuersoriae tabernae, quae ab insigni, quo ornatur, nempe a tilia nomen habet, et in suburbio nostro iacet, sub finem mensis Maii anno praeterito infestabatur, et innumera alia exempla, nisi vererer, ne libellus hic academicus in spissum volumen increseat. Sufficiant haec exempla ad comprobandum, inueniri variolas verminosas veris per omnia quam simillimas, si fortasse a cicatricibus et contagione recessero. At enim vero quod ad primum adtinet, multi quoque, quorum facies innumeris veris variolis conspersa fuit, nullis notantur cicatricibus. Contagionem autem variolarum verminosarum nec adfirmare, nec negare ausim. Nam nullus eorum, qui nondum variolis veris laborauerat, cum his versatus est, quorum variolis verminosis Ill. PRAESES curationem adhibuit. Si vero ex analogia reliquorum morborum exanthematicorum colligere liceret, nullum fere superesset dubium, quin variolae verminosae aequae ac variolae verae veneno suo alios infecturae sint. Sed quum putredo humorum in variolis verminosis non tanta sit, quanta in veris esse solet; contagionis quoque vis in illis minor est, et si infectio fieret adhibito pure variolarum verminosarum; vero simile est, non veras, sed idem morbi genus excitatum iri. Vere videor posse contendere, eandem esse  
 vtri-





utriusque morbi naturam atque originem. Variolae enim verminosae a putredine humorum nostrorum, quibus sanies vermium in intestinis corruptorum immista est, oriuntur; verae autem variolae primam suam originem traxisse videntur a putredine sanguinis in praecalidis regionibus corrupti. Et quum aestatis calor non alias magis quam Africae regiones solis radiis accendat, et mensis Iulio atque Augusto Aegyptum Nili aqua inundet, recedente vero huius fluminis aqua, multa animalia relinquuntur, e quorum tabo dilapsis corporibus vapores putres ascendant necesse est, qui vna cum vaporibus aquae nimis aëres huius regionis pestilentiores reddunt: variolae verae de eodem fonte, ex quo pestis emanavit, deriuandae sunt. Antiquissima memoria est, variolas primum in Aegypto aetate Omaris, qui fuit Mahomedis successor, adparuisse p). Hanc sententiam quoque comprobant observatio scriptoris illius Arabici, cuius liber manu scriptus in bibliotheca Lugdunensi adseruatur, quod nempe variolae anno DLXXII ad Arabiam aduenerint q). Harum variolarum verminosarum notitia eam certe nobis adferre potest utilitatem, ut, si eiusmodi homines, qui olim iam veris variolis afflicti sunt, vel quibus variolae insitae fuerunt, iterum variolis laborare videmus; non statim perhibe-

p) Conf. IO. FREINBIL *Histor. med. in oper. ei. edit. Paris. a. 1735. pag. 275.*

q) Vid. IO. IAC. REISKII *Diff. miscellan. observat. medic. ex Arabum monumentis. Lugd. Bat. 1746.*



hibeamus, eos bis variolis veris correptos esse. Plerumque enim vel priores, vel posteriores variolae aut verminosae, aut aliae spuriae fuerunt.

§. XXI.

Si febris verminosa intermittens, seu potius valde remittens per longum temporis spatium iam duravit, in lentam febrem degenerare solet, ita, ut nulli paroxyfmi cum incipiente horrore manifesto redeant. Adfunt tamen interdum, praesertim horis vespertinis, subitaneae frigoris accessiones cum leni insequente calore et sudore nocturno. Febris lenta verminosa ex continuis quoque eiusmodi febribus nimium protractis, quin immo per se oriri potest. Febris huius lentae symptomata, praeter modo exposita, si a frigore et calore nimio eorumque effectibus recesseris, sunt fere eadem, quae supra §. XVIII. recensui, in primis vero leucophlegmatia, tympanites, tabes, seu atrophia, ileus, qui oritur vel a glomo vermium implicatorum canalum intestinorum obturante, vel a spasms vermium vellicatione concitatis, quibus aut tubus coarctatur, aut intestina se intus suscipiunt r). Saepius quoque in febre hac lenta occurrunt faucium stranguationes, cephalalgia, amaurosis, aurium tinnitus et susurrus, auditus grauitas, surditas, aphonia,

r) Vid. Diss. de intestinis se intus suscipientibus et rarissima huius morbi congeniti observatione, quam Praef. III. BEIREISIO habuit Exper. Neumeisterus §. 32.





nia, paralyfis membrorum, catalepsis, epilepsia, cuius innumera exempla Ill. PRAESES vidit, aegrosque sanavit, et motus spasmodici vagi, siue chorea, quae a Diuo Vito nomen habet. Huius morbi rarioris exemplum ab Ill. PRAESIDE et a me observatum paucis in medium proferam. *Maria Cina Ernestina Henrica* infans sex annos nata, filia *Ioannis Caspari Bartelsii*, tabernarii cauponae, cuius insigne est ceruus aureus, et quae in suburbio nostro (in der Neumarck) sita est, postquam per quatuor hebdomades tensionibus membrorum et capitis adfecta erat, die sexto Martii anno praeterito omnium membrorum motu ita tentabatur, vt saltare videretur, et ne per momentum quidem temporis ab hoc membrorum motu diu noctuque libera esset. Accedebant vigiliae pertinaces, continuus risus, aponia, seu articulatae vocis defectus, qui per quinque hebdomades aderat. Ill. PRAESES potionem diapnoicam et antispasmodicam aegrae propinabat, sed morbus crescebat. Die decimo sexto Martii adhibere coepit florum zinci granum vnum mane et vesperi. Die decimo nono convulsionibus vehementibus haec puella iactabatur, quare Ill. PRAESES moschi grana duo horis matutinis, et totidem grana post meridiem et horis vespertinis aegrotae praebebat. Quo facto convulsionibus quidem remittebant, sed membrorum motus continuabatur. Quum Ill. PRAESES vermes in intestinis latentes suspicaretur, a die vicesimo secundo Martii infanti mane et vesperi drachmam dimidiam pul-

pul-



pulueris ex femine cinæ parati dabat, quo medicamento anthelminthico sumto tredecim ascarides lumbricoides hospitium suum relinquere cogebantur. His cum magno modo colluuiæ verminosæ ope remedii aluum elicientis expulsis motus membra conuellentes sensim sensimque imminuebantur, et sub initium mensis Aprilis penitus cessabant. Tanta vero remansit membrorum debilitas, vt paralyfi omnium membrorum laborare puella videretur. Primo loquela, deinde dextri brachii, tum sinistri, tandem pedum motus redibat. Ad partes debiles roborandas liquor e cortice Peruuiano extractus et igne spissatus per plures hebdomades adhibebatur. Sub initium huius anni infans hæc in eundem morbum recidebat; sed Ill. PRAESES ei facilius, quam anno praeterito medicamentis anthelminthicis et antispasmodicis medebatur.

§. XXII.

Symptomata tum febris verminosæ acutæ, (§. XVIII.) tum lentæ, (§. XXI.) vel a spasms, quos vermes concitarunt, vel ab humoribus putridis tam in intestinis collectis, quam ad sanguinem delatis et inde orta huius corruptione, vel a virium debilitate deriuari possunt. Nerui enim debilitentur necesse est, si continuo fere spasms fatigantur, et optima lympa a vermibus consumitur. Et hancce debilitatem neruorum, maioris dilatationis pupillæ causam esse existimo. Nam in neruis debilibus sentiendi facultas imminuitur. Quod si igitur





tur membrana oculi nervosa, *retinam* vocant, debilis reddita est, et eo ipso oculi acies hebescit, pupilla dilatatur. Nam neminem medicorum latere potest, pupillam contrahi, si luminis splendor oculos et praesertim illorum membranam nervosam ferit, pupillam vero dilatari, si minor lucis modus, vel nulla omnino lux in illam membranam immittitur, sicut hoc fieri solet in amaurosi. Accedit ad hoc, quod spasmi a vermibus in intestinis concitati sanguinis circuitum in visceribus abdominis impediunt; sanguis vero in caput, locum nempe ubi propter mollitiem cerebri minor ei fit renixus, congestus, non solum arteriam *centralem retinae* s) et arteriam ophthalmicam nervum opticum ambientem t), eiusque ramulum, circulum arteriosum circa transitum nervi optici per crassitiem scleroticae u), sed arteriam quoque acusticam nervi acustici sociam, quae ex arteria basilari cerebri oritur, distendit, et comprimendo nervos vicinos debilem visum, amaurosin, tinnitum, susurrum et difficultatem aurium, immo surditatem efficit.

### §. XXIII.

Quod ad prognosin adinet, febris verminosa intermittens, nisi sit soporosa, vel aliis sympto-

s) Vid. HALLERI *Iconum anatomicarum fascic. VII. Tab. VI. fig. 7. b.* et ZINNII *descript. anatom. oculi hum. Tab. I. fig. 1. a.*

t) HALLFR. *lib. cit. Tab. VI. fig. 2. V.* et *fig. 4. d.* et ZINN. *l. c. Tab. III fig. 5. a.*

u) ZINN. *l. c. fig. 1. q.*



ptomatibus malignis stipata incedat, haud periculosa esse solet. Si vero acuta est, et collectione atque resorptione liquoris putridi sanguis eiusque lympa et omnes corporis humani humores nimium sunt corrupti, viresque deficiunt; si purpura alba, vel petechiae in conspectum veniunt; si tendines subsiliunt: maximum adest periculum et mors in propinquo esse solet. In vitae quoque discrimine versantur aegroti febre lenta verminosa laborantes, si haec febris iam nimis protracta est, et vires fractae sunt. Ex his vero febribus verminosis conualescere possunt, qui virium vitalium robore adhuc fruuntur, quibus symptomata febris verminosae sunt mitiora, et quorum humores nondum summo putredinis gradu inquinati sunt.

§. XXIII.

His febribus medendi ratio triplex est, pro diuersitate earum naturae. Si igitur febres verminosae intermittentes sunt, medicus ante omnia studere debet, vt et mucum consuetum nidum vermium, et vermes ipsos e corpore eliminet. Prius facile obtinebit, si salibus mediis, vel medicamentis amaris et saponaceis, mucum intestinorum resoluit et abstergit. Praestantiora sunt ad hoc salia enixa, tartarus tartarifatus, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal polychrestum Seignetti, tartari sal alcali acido citri saturatum, et terra foliata tartari. Posterius eie-

F 3

ctio





Etio nempe vermium e canali intestinorum vix, ac ne  
 vix quidem fieri potest, nisi prius vermes vel enecen-  
 tur, vel ita debilitentur, vt oris sui suctu non amplius  
 intestinorum villis arcte adhaerere queant. Innume-  
 ra quidem sunt medicamenta, quae verminantibus  
 medici veteres et recentiores commendarunt: maxi-  
 ma vero pars iam explosa est, exempli causa mu-  
 scus corallinus, quem non solum magnus BOER-  
 HAVIVS adhibuit x), sed LINNAEVS quoque inter  
 praecipua remedia anthelminthica retulit y), cuius  
 vero medicamenti inanitatem Ill. PRAESES iam du-  
 dum demonstravit z). Nostra aetate in primis Spi-  
 gelia anthelmia L. et Dolichos pruriens L. a clarissi-  
 mis viris ad verminationem laudantur. Priorem  
 plantam Medicus Anglicus, Cel. BRUNIVS (Brown)  
 in historia sua naturali Iamaicae primus cum me-  
 dicis communicavit, ac miris laudibus praedicavit,  
 et Immortalis LINNAEVS ad illius sententiam acces-  
 sit in dissertatione de *Spigelia anthelmia*, quam anno  
 MDCCLVIII. Upsaliae habuit a). In hac disserta-  
 tione solemni adcurata huius plantae, quae ad *Pen-  
 tandriam Monogyniam* LINNAEI pertinet, descriptio  
 et eam adhibendi methodus inuenitur. Herbae SPI-  
 GELIAE anthelmiae manipuli duo in aquae fonta-  
 nae libris duabus coquendi sunt, vsque dum pars  
 dimi-

x) Vid. EI. lib. de Materia med. p. 250.

y) Vid. CAR. LINNAEI *Amoenitat. academ. Vol. V. p. 138.*

z) Vid. EI. *Diss. medicamenta inania in medicinam peruersis opi-  
 nionibus recepta lustrans. §. XXII. p. 56. seq.*

a) Vid. EI. *Amoen. acad. Vol. V. p. 133. seqq.*



dimidia aquae consumpta fit, cui decocto colato ad-  
 di potest saccharum, vel succus limonii, et aegro  
 vnciae quatuor quavis sexta vel duodecima hora  
 propinandae sunt per triduum. Ego vero nollem  
 hoc remedio vti sequentibus ductus rationibus. Pri-  
 mum Ill. PRAESES laudatam efficacitatem huius me-  
 dicamenti obseruare non potuit, quamuis in eo  
 adhibendo omnem curam et studium collocauerit.  
 Cuius quidem rei rationem in eo positam esse censet,  
 quia fluidum hoc medicamentum iam omne in su-  
 periori parte intestinorum ab eorum villis resorbe-  
 tur, ita, vt ad inferiores partes, nempe ad inte-  
 stinum ileum, vbi lumbrici teretes seu ascarides  
 lumbricoides L. plerumque hospitari solent, nihil  
 fere illius decocti peruenire possit. Deinde hocce  
 medicamentum praeter vires anthelminthicas, alias  
 adhuc habet nociuas. Nam ipse BRVNIVS fatetur,  
 quod Spigelia anthelmia somnum aequae certum et  
 ferme eodem gradu ac opium inducat, et mentem  
 soporet sensusque abalienet, et quod oculi post so-  
 poriferum effectum sint distenti, fulgentes, et scin-  
 tillantes, quemadmodum esse solent ante eruptio-  
 nem variolarum et morbillorum b). LININGIVS  
 quoque testatur, huius remedii nimiam dosin ver-  
 tiginem cum spasmis partium supra et infra oculos  
 iacentium et in ipsis oculis excitare c). Et ANTO-  
 NIVS

b) LINN. *Amoen. acad. Vol. V. p. 144.*

c) Vide *Litteras a IOANNE (IOHN) LININGIO Carolistadii  
 in Carolina ad ROBERTVM WHYTTIVM missas, quae in A-  
 ctis Edinburg. a. 1764. p. 386. continentur.*



NIVS ROLANDI filius (Rolandson) MARTINVS in se ipso postquam Spigeliã anthelmiam L. adhibuerat, oculorum pruritus expertus est, quamvis nulli vermes, quos Gordios vocat, et ad quos necandos depellendosque hoc medicamentum sumserat, ex alio eiicerentur d). Altera planta Dolichos pruriens L. a Cel. MYRBAIO commendatur e). Quamvis huius plantae vim medicam negare nolim, ratio tamen, qua Vir Celeberr. efficaciam illius explicare studet, mihi dubia esse videtur. A solis enim setis filiquarum hirsutarum huius plantae vim anthelminthicam deriuandam esse perhibet. *Hae ipsae, inquit, rigiditate et acumine suo mechanice lumbricos, nam ad hosce vnice hic respicitur, irritant et magna copia per aluum eliminant. Nam neque tinctura, neque decoctum inde paratum eundem effectum praestat. Ne vero iniuriam similem ventriculo et intestinis, quam cuti, inferant, easdem cum syrupo vulgari commiscent, ad compagem electuarii liquidi, cuius cochleare pro Thea infanti bienni vel trienni, et dupla quantitas adulto datur, iterando hanc dosin diebus insequentibus, subiuncta demum dosi Rhabarbari. At enim vero tenues hae setae, si cum liquidis mixtae ventriculo ingeruntur, et in hoc et in intestinis macerantur; rigiditatem suam ita retinere nequeunt, vt pugendo pruritus in vermibus excitent. Neminem enim fugit, cuncta eiusmodi herbarum*

d) Vid. *der Koen. Schwed. Acad. der Wiss. Abhandl. Vol. XXXIII. p. 266.*

e) Vid. *EI. Apparatum medicaminum Vol. II. p. 358 et seq.*



barum spícula, non solum minores vrticarum aculeos, et maiores latrophae vrentis L., succo acri repletos, sed etiam spinulas, siue setas rigidiores aliarum plantarum omnem suam pungendi vim amittere, si liquidis macerantur. Mitto iam alia medicamenta anthelminthica, quae recentiores auctores dilaudant; ego sane his non indigeo. Ex innumeris obseruationibus optimi Praeceptoris ad lectos aegrotorum collectis didici efficacitatem incredibilem medicamenti anthelminthici veteribus medicis, quos latino-barbaros vocant, non ignoti, seminis nempe cinae Aleppensis, siue Artemisiae iudaicae L. Semina quidem Santonici veterum et Artemisiae santonicae L. vermes enecandi vim habent; sed eorum efficacia minor est semine Artemisiae iudaicae, seu cinae Aleppensis, quae est ad vermes medicina praesentissima, dummodo medicus ea recte vti didicerit. Plerumque semen cinae lacte decoquitur, vt facilius infantibus ingeri queat; sed quum maxima huius lactis, quod vim anthelminthicam in se recepit, pars ab ampullis lacteis intestini ieiuni absorbeatur, eius minima tantum et liquore ventriculi atque intestinorum mista pars, vermium nidum contingere et parum efficere potest. Nonnulli quidem semen Artemisiae iudaicae L. pueris, qui verminant, praebent, sed simul permittunt, vt illi paullo post cibum capiant, quo fit, vt hoc semen cibo immisceatur et vermibus parum noceat. Quodsi igitur seminis cinae Aleppensis efficacitatem in depellendis vermibus non im-

G

mi-



minutam experiri apud animum nostrum statuimus, drachma vna vel dimidia mane ieiuno stomacho ingerenda et verminantibus praecipendum est, vt minimum quatuor horas se a cibo abstineant; deinde vel incoenibus, vel coenatis quinta a coena hora idem praebium dandum est. Sic praesentaneum hoc remedium anthelminthicum cibus non admistum subinde ad vermes delabatur, et quum hi osculum suum nodulis tribus tamdiu claudere nequeant, quamdiu istud semen in eo loco est, vbi vermes hospitantur; aut liquorem ope lymphae intestinorum ex semine cinae extractum sorbere, aut ex loco hoc aufugere et propius ad intestinum reatum accedere cogentur. Quatuor filiorum mater, cui febris verminosa tres natu maiores abstulerat, ab Ill. PRAESIDE petit, vt quartum et vltimum vitae miserae solatium, in eundem morbum delapsam, sanaret. Ille, vt semen cinae huic morbo opponeret, suavit. Sed noluit vidua haec eius consilium sequi, perhibens, se iam magnum modum huius seminis et fato absumentis et supersti frustra ingessisse. Is itaque dedit huic feminae formulam medicam, qua pharmacopolae praeceperat, vt ex vncia vna seminis cinae Aleppensis puluerem praepararet, et in octo partes aequales diuideret, quibus supra descripto modo sumtis incredibilis vermium numerus ab infante depulsus isque sic pristinae sanitati restitutus est. Permagni igitur interest, qua ratione hoc medicamentum adhibetur. Sed quanta sit naturalis eius efficientia duobus exemplis comprobare mihi liceat.

Io



*Ioanna Catharina Sophia*, filia *Ioannis Georgii Piestii* sclopetorum fabri Helmstadiensis, qui in platea, cui a calceis nomen est (Schuhstrasse), in aedibus conductis habitat, puella octo annorum mense Februario anno MDCCLXXVII intolerabilibus cruciatur torminibus, quorum causam vermes esse Ill. PRAESES coniiciens, adhibito semine cinae Alepensis breui tempore centum et triginta tres lumbricos teretes e ventre expellebat. Et aliquot abhinc hebdomadibus data vncia dimidia huius seminis ex intestinis infantis sex annorum, filii *Henrici Schraderi* fabri fenestrarum in vico vicino Walbecca habitantis, sexaginta tres eiusmodi vermes paucis diebus eiiciebat. Miror itaque, qui fieri potuerit, vt Cel. van DOEVEREN in recensione remediorum anthelminticorum f) huius praesentis medicamenti nullam mentionem faciat, quum multa medicamenta inania recenseat. Nisi quis putet, Virum Cel. sub semine zedoariae semen fantonici vel cinae intellexisse. Verum enim vero differentia inter zedoariam seu Kaempferiam rotundam L. et Artemisiam iudaicam L. Virum Cel. latere non potuit. Vermes enecti, vel debilitati et nondum eiecti medicina aluum solvente eliminandi sunt. Id quod optime fieri potest vel manna, vel rhabarbaro solo, aut cremore tartari mixto, vel sale mirabili GLAUBERI, vel anglicano, vel pilulis mercurialibus adhibitis. Aluo sic eluta et a vermibus, mucos et humoribus putridis purgata, statim corticem Peru-

G 2

uia

f) Lib. cit. p. 69. seq.





uianum ad febrem depellendam praebere possumus. Hoc enim remedium non solum feбри tuto medetur, verum etiam putredinem humorum a resorptis ex intestinis liquoribus putribus ortam corrigit, quin immo vermes fortasse adhuc residuos et remediis anthelminthicis debiles redditos enecat. Ventriculi et intestinorum debilitas emendanda est succis plantarum amararum, in primis vero e corticibus malorum aureorum, e cortice Peruuiano, cascarillae, e cortice et ligno quassiae ope aquae vel vini extractis et aqua cinnamomi solutis, addito spiritu nitri dulci.

#### §. XXV.

Si febris verminosa est continua, acuta, putrida, non semper curationis initium, sicut in febribus intermittentibus, fieri debet occisione vermium. Nam vermes saepius iam mortui sunt et putrefacti. Si igitur putris haec colluies vna cum bile corrupta sanguini admiscetur, febris vt augeatur necesse est. Et si vermes adhuc vegeti in intestinis repunt, ei adhibitis anthelminthicis medicamentis irritari et sic atrocía symptomata excitari possent. Praestat ideo colluuiem hanc verminosam ac biliosam ex intestinis eliminare, antequam omnes humores inquinare et hac corruptione febris putrida crescere potest. Interdum quoque iisdem medicamentis aluum mouentibus simul vermes ex intestinis expelluntur. Quare ante omnia aluus cienda est lenioribus remediis catharticis, decocto tamarindorum, vel solo, vel manna et cremore tartari mixto, quibus medicamentis simul

simul



simul putredo corrigitur et calor temperatur. Repe-  
tenda sunt hæc remedia, vel cum rhabarbaro nitro  
mixto commutanda. Nonnumquam iis praemittatur  
medicamen vomitum efficiens, verbi gratia pulvis ra-  
dicis ipecacuanhae, si vel ructus putres, aut amari,  
vel alia symptomata de colluie morbi putrida in  
ventriculo, vel superioribus intestinorum partibus, prae-  
sertim in duodeno haerente, testantur. Aestus tem-  
perandus est nitro, vel acidis salibus, quibus simul pu-  
tredo imminuitur, id quod etiam obtineri potest deco-  
cto florum arnicae et corticis Peruuiani, in primis si ei aci-  
da salia admiscantur. Conuulsiones vel moscho, vel naph-  
tha nitri, vel floribus zinci cohiberi possunt. Qua ratione  
exanthematibus et aliis symptomatibus medeamur, ex su-  
pra enarratis morborum historiis patet.

§. XXVI.

In febre lenta eadem medicamenta tum ad vermina  
depellenda, tum ad putredinem imminuendam, tum ad  
conuulsiones coercendas, quae modo recensui, adhibenda  
sunt. Reliqua symptomata vermibus expulsis vel prom-  
ptus finiuntur, vel remittunt, vel iisdem remediis con-  
tinuatis curari possunt. Febris lentae causa saepius tae-  
nia esse solet, quae, si febris remissior est, et vires aegrotus  
nondum amisit, vel remediis *NUFFERIANIS* g) vel paucis gra-  
nis gummi Cambogiae L. vel resinae ialappae vini spiritu so-  
luta h), e ventre eiicere possumus. Contra febrem lentam sac-  
chari lactis vncia vna vel duae aqua liquefactae et quotidie  
sumtae, nec non serum lactis acidulum et dulce, addito  
sub finem cortice Peruuiano egregie medentur.

g) Vid. *Précis du traitement contre les ténia.* a Paris 1775.

h) Cuius expulsionis exemplum supra p. 6. not. g. inuenies, et  
haec taenia expulsa tum febris lenta, tum epilepsia, quibus  
*MARNIZIVS* saepe iactatus erat, cessauit.

*Errata typogr.* Pag. 22 lin. 23. lege *liberorum.* P. 24. l. 14. l. *lumbrico-*  
*cos.* l. 29. l. *Die.* P. 42. l. 19. l. *diapnoicam.*



PRAESES  
HINZIO SVO

S. D. P.

*Si quis umquam in defendenda dissertatione academica, TV certe non indigni praeside seu propugnatore. Modestae TVAE petitioni satisfeci magis eo fine, ut testis sim praeclarae TVAE eruditionis, quam ut TE ab dissentientium telis defendam. Testis iam fui solidae TVAE doctrinae, quum ordo noster TVAM in medicis scientiam tentaret. Prompto latini sermonis flumine ad cunctas quaestiones, quae TIBI ab Honoratissimis meis Collegis et a me propositae sunt, eximie et ita respondisti, ut medicorum ordo TIBI honorem decerneret, quem nulli candidatorum tribuit ab eo tempore, ex quo membrum illius fui. Et meo quidem iure grauiissimas de TE laetandi prae me habeo rationes, eoque maiorem ex eruditione TVA percipio voluptatem, quo certius constat, TE, ex quo in Academia Argentoratensi et in primis institutione Celeberr. LOBSTEINI, Anatomici nostrae aetatis facile principis bene praeparatus ad hanc litterarum uniuersitatem accessisti, nullas alias scholas, quam meas frequentasse. Nec mihi defuerunt TVI erga me studii egregia documenta. Quum enim Perillustis et Generosissimus POLENIVS, quem propter eximiam virtutis indolem summa obseruantia colo, grauiissimo pedis ulcere et febre hectica laboraret, atque ego permultis morborum depellendorum negotiis, continuisque laboribus academicis dissentissimus impediret, quo minus quotidie Virum Generosissimum inuisere possem, TV tam diu Aegro adsedisti, donec ad Eum redirem, et quum Nobilissimus BREYMANNVS gangraena pedis adfectus viginti duas hebdomades in aedibus meis commoraretur, TV eo tempore, quo ad remotiores aegrotos iter feceram, vulnera fere mortifera deligasti, et sic uterque pristinae valetudini restitutus est. Mihi quoque sectiones chirurgicas facienti manus commodaisti. Non potest ergo fieri, ut exoptatam, quam nactus iam mihi esse videor, praetermittam occasionem, gratum meum animum TIBI valam significandi. Ex animo TIBI gratulor summos in Medicina honores. Gratulor Ciuitati, in qua medicam et chirurgicam artem exercebis, de medico et chirurgo dexterrimo. Faxit supremum Nomen, ut prospere ac feliciter TIBI cedant omnia.*

